Ill. et Mag. D. D. Petrus Barzius
de Blozwia. eij

IOANNIS GREGORII MACRI SZEPSII DE VERA GLORIA LIBELLVS.

In promotione Baccalaureorum publicè ab ipso Autore in Illustrissima Academia Cracouiensi, Anno Domini, Millesimo Quingentesimo Sexagesimo secundo, recitatus.

ODE SAPPHICA.

Gloriam virtus parit, & gubernat:
Gloria at Pulchrum sequitur, Bonumq́;:
Est Deus Pulchrumq́;, Bonumq́; summum, &
Gloria, solus.
Gloria in cœlis Deus est perennis:
Gloria in Mente est Patris ast imago:
Gloria in terris Sophia est bonorum, &
Inclyta virtus.

CRACOVIÆ.
Lazarus Andreę imprimebat.

PRAECLARO ET NOBILI DOMINO ANDREÆ SCHADKOVIO, SALINARVM CRACOVIENSIVM NOTARIO: STVDIOSORVM FAVTORI OPTIMO:

Ioan: Gregorius Macer Szepsius.

S. P. D.

HERMES ille Trismegistus, ANdrea Nobilißime, qui primus inter Philosophos, à Physicis & Mathematicis disciplinis, ad Diuinorum contēplationē se transferens, primus de maiestate Dei, Spirituū ordine, Diuina in animas ac mentes inspiratione ac influxu disputauit, ideoq; primus antiquæ Theologiæ autor est appellatus: vt breuibus, quid Gloria, & vnde petēda, atq; etiam quomodo comparanda eßet, mortalibus proponeret: in hæc verba in Dialogo cui titulus est Sermo sacer, inquit: GLORIA omnium DEVS: Diuinū, Diuina natura. Pulchrum sanè & breue dictum, vtinam omnibus gloriā amantibus pateret. Procul dubio vidit Diuinus Hermes multos gloriam quærere, inuenire paucos: vel quia nō debitè quærunt, vel quia vbi quærenda sit ignorant, vel quia difficultate deterriti in medio cursu subsistunt. Quare quò ijs viam aliquam præmonstraret, qui quandā animi inclinationē ad gloriā haberent: quid sit gloria, vbi inueniatur, & quomodo comparetur: breuißimè cōpræhendit. GLoria itaq; omnium rerum in toto Vniuerso, tàm Intelligētiarum, quàm Hominis, rerumq; ad vsum humanum conditarū, DEVS ipse est, immensæ Pulchritudinis, mimēsi Luminis, immensæ Bonitatis autor, & opifex: imò ipse immensa Pulchritudo, ipse immēsum Lumē, & ipse immensa Bonitas est, ipseq; immensa GLOria est. Quandoquidē tàm ampla Bonitas est, quàm existentia rerū omnium tū corporalium, tum etiam incorporalium, sensibilium, & intelligibilium: vnde, Bonum est ipse DEVS, ipse Gloria, qui Bonum & Gloria, non secundum honorationem, sed ipsa sui natura super essentiā, est.

Quisquis itaq; Gloriā appetit, in Diuinis eam quærat, id est, in Diuinitate, quæ est eßētia DEI, DEus enim ipse etiam super essentiam. Per participationem nanq; Diuinitatis & eßentiæ Dei, Dij plures sunt tum inter Spiritus & Dæmonas, tum inter Homines: per ipsam verò super eßētiā Vnionem, DEVS vnicus est. Vnde nullus eorum, qui im-

mortales cuncti Dij, nomine Dei honoratur, tàm bonus esse potest, quàm DEVS vnicus: bonus autem per participationẽ bonitatis DEI fit, & Deus honoratione Boni dicitur, in qua iam Gloriam adeptus est. Ad hanc verò non peruenit quisq̃, nisi seipsum cognoscat, portionem scilicet Mẽtis, quæ DEVS est, esse. Quoniã omniũ pater Deus, ex quo Homo natus est, ex Vita & Luce constat: quare qui seipsum cognoscit ex vita & luce compositũ, is ad vitam rursus, Lucemq̃ transcẽdet, vt in Deum transeat, quod solis ijs, qui per participationẽ Diuinitatis, boni, pij, puri, religiosi, iustiq̃ sunt, cõceditur. Hi nanq̃ vitã sensibilẽ, & desideria prauæ voluptatis fugientes, vitam viuunt contẽplatiuam: quare & corpus eorum materiale alteratur, & species ipsius sensibilis, delitescit quasi insensibilis, & morũ ociosus habitus dimittitur, & sensus corporei ad animã & mentẽ refluunt, Ira & Concupiscentia exterminatur, Ratio & mens, per harmoniã Mũdi Cœlestis recurrit ad supera.
☽ Ibi igitur primæ quidẽ Zonæ, Lunarisq̃ orbis gubernatori harmoniæ, augmẽti diminutionisq̃ reddit officium. Secundæ, machinationem malorum,
☿ ociosumq̃ dolum. Tertiæ, Ociosam concupiscentiæ
♀ ☉ deceptionem. Quartæ, Imperiosam atq̃ inexplebilem ambitionem. Quintæ, Profanam arrogãtiam, ♂
& audaciæ temeritatem. Sextæ, occasiones diuitiarum prauas & ociosas. Septimæ Zonæ, Saturniq̃ ♃ ♄
orbis gubernatori, mẽdacium insitum. Tunc itaq̃ Animus harmoniæ cœlestis mundi motiones exutus, ad optatam naturam vitæ lucisq̃ reuertitur, vim propriam habẽs: vnaq̃ cum illis, qui ibi sunt, Spiritibus, Patrem laudat DEum omnium: Tandemq̃ in Potestatum numerum se conferunt, effectiq̃ Potestates DEO fruuntur. Atq̃ hoc est Summum Bonum, & vera Gloria omnium, quibus cognoscendi sors competit, Diuinitatẽ consequi, Deumq̃ fieri, quod Hermes Diuinã naturam dixit.

Huiusmodi veræ Gloriæ descriptionem, quantum potui, hoc carmine, Nobilissime Andrea, imitatus sum: quod postquã ego publica voce in hac amplissima Regni Poloniæ Academia, declamassem, & amicis flagitãtibus, in publicum ædere cõstituissem: priusq̃ sub prælum darem, doctissimo Philosopho & Medico, Anthonio Schnebergero, P Tigurino, legendum obtuli. Is vbi diligentius perlegisset, protinus, plurima de tua integritate, Virtutibusq̃, quibus ad veram Gloriã semper cõtendis, referens, vt tibi dedicarẽ, me adhortatus est: cui tantò etiam libentius parui, quantò plu-

 ra humani

ra humanitatis, ac beneuolentiæ tuæ in liberalium disciplinarum Studiosos, Encomia ex Georgio Molitore, viro optimo, cum quadam iucunditate perciperem: quantòq; maiori desiderio, me in notitiam, & amicitiam viri, veræ Gloriæ studiosi, peruenire optarem. Quare, vt tua fert humanitas, exiguum hoc ignoti Amici munusculum, non ingratæ fortaßis materiæ, æqui boniq; consules: & te sponte tua currentem, ad veram Gloriam magis etiamincitabis.

Vale.

Datum Cracouiæ Anno Domini M. D. LX. II. pridie Calend: Iunias.

IOANNIS GREGORII MACRI SZEPSII,

DE VERA GLORIA LIBELLVS.

ILlustri Iuuenum Phœbo dilecta corona,
Gloria num penitus quæuis spernenda putetur
Magnanimo, fortiq; viro, vel fortè sequenda
Interdum fuerit, liceatq; ambire decenter
Et famam, & laudes: præsenti carmine tandem
Quærere constitui. Vos ô Sanctißima Diuûm
Numīa, quos Cytharæq; iuuāt, et carmīa laudū,
Quiq; coli sacris optatis ritibus aras
Æternùm vestras: quærenti, numine dextro
Aspirate mihi, iustasq; in carmina vires
Sufficite. Huc Clio Musarum maxima, clarum
Tollere cui fas est vera cum laude cacumen,
Dirigito gressus, felix rege carbasa nostra:
Tuq; adeò primùm, quem circum Gloria semper
Vera nitet radijs Phœbum exuperātibus omnē,
Adsis Sancte DEVS, tu solus Gloria nanq;
Vera es, tu vero lustra mihi lumine mentem,

Impetu

Impetus vt veri consurgat carminis acer.
Vos quoq; doctrina celebres, atq; arte Magistri
Ingenua clari, & Musis dilecta Iuuentus,
In mea pacatos, oro, date carmina vultus.
Nil adeò est homini propriũ, q̃ quærere iustis
Laudibus æterno victuram tempore famam:
Nec minus est homini propriũ, q̃ quærere falsis
Laudibus exiguo morituram tempore famam:
Quod magis vt videas, animi fac lumina pande.
Mens humana, Dei sanctißima portio summi,
Vt perhibent Vates cœlesti numine Diuûm
Afflati, similis semper cupit esse Parenti
Supremo, seseq; mouens rimatur vbiq;
Omnia, quîs monstret Diuina ab origine natam,
Æthereisq; homini se missam ab sedibus esse.
Ipsa suis igitur pennis feliciter vsa
Transuolat immensi sublimia culmina cœli,
Spirituumq;, sacro laudantum carmine Patrem,
Concilio sese miscet, Sanctumq; videndo,
Laudandoq; DEum, fit & ipsa simillima Sancto,
Cunctaq; sancta cupit fieri, facere, atq; tenere,
Laudariq; hominum sanctorum laudibus æquis,
Vt laudata canat Patri plenißima laudum
Carmina supremo, seseq; accommodet illi.
At si corporeis Mens est depressa malignè

Sordibus, ima petens in tartara corruit atra,
Vmbrarumq; feras formas, & dedecus haurit
Horrendum, & summo sic fit contraria Patri,
Degenerans multis à Sancto erroribus ipso.
Hæc est quam nullis pulcherrima gloria tangit
Laudibus: At si fortè petit quandoq;, cupitue
Laudari, falsò venatur nomine laudem.
Huius sunt animæ, quotquot vesana libido
Falsarum laudum tumido facit ore superbos.
Quiq;, parum si fortè boni fecêre, vel extra
Consilium, aut casu, nimium super æthera tollunt
Grandistrepis verbis, reboantq; immania dicta,
Contemnunt alios, plura, & maiora frequenter
Qui bona constantis faciunt conamine vitæ:
His merito dictum est Epicuri λάθε βιώσας.
Pulchrius est latuisse, malis quàm quærere laudẽ
Artibus, & vitio Pulchrum prætendere turpi.
Non hæc est animo gratißima gloria Sancto.
Ille etenim summum spectando lumine Patrem
Diuino, pulchroq; DEO pulcherrima suaui
Carmina Spiritibus cum sanctis mente canendo,
Supra terrenos pulcher consurgit honores,
Contemnitq; auræ vulgaris turgida vela.
Quippe DEO similis, vera vult laude perennem
Ad seros famam producere posse nepotes.

Hinc animo surgit rerum contemptus earum,
Quæ fluxæ modico mansurum tempore nomen
Conciliant, vel quæ possint seducere mentem
A Patris ætherei aspectu, cœcisq; tenebris
Mergere: quæue etiam pœnas & vincla merentur.
Contrà vbi Diuinum quicquam cognoscit inesse,
Huc rapitur totis subitò, velut incita nauis,
Viribus, vt quicquid Diuinum repperit, illud
Omne sibi acquirat, proprium reddatq;: Beatum
Scilicet hoc nacto se perspicit esse, suamq;
Hanc laudem, nullo morituram temporis æuo,
Agnoscit, quòd habet Diuino in munere partem.
Nec veram mentis tu laudem hanc esse putâris,
In qua non aliqua est Diuini portio Pulchri.
LAVS siquidē vera, est pulchrarū ꝓpria rerū.
Atq ipsum Pulchrū Deus est: hūc ꝓpter habetur
Pulchrū, quicqd habet non falsò nomīa Pulchri.
Ipsum quippe Bonum, Pulchrū præcepta Platōis
Esse docent: ipsumq; Bonum, Deus ipse, perennis
Fons, & origo boni, est: à quo bona cūcta per ōnē
Naturā manant, qui quicquid in æthere summo,
Vel maris immensi cœco facit æquore, terræ
Visceribusúe tegit, bona sunt: vertuntur eódem
Et Deus, & Pulchrū, atq; Bonū: Diuinaq; cuncta
Sunt bona, sunt etiā pulchra: et Mens ipsa sup̄ni
Pars

Pars est quādoqdē Pulcri, Bona sit quoq; oportet.
At veluti Phœbus nunq̄ sine lumine claro
Esse potest, ignemq; calor comitatur vbiq;:
Sic bona si quæ sunt, pulchrū comitatur, at ipsū
Pulchrum laus sequitur, post laudē gloria famæ.
Humanam idcirco delectat gloria Mentem,
Gloria, quam Pulchrū atq; Bonū peperêre, Deoq;
Finitimam fecêre Boni rationeq; Pulchri.
GLoria nil igitur, nisi laudis verus honestæ
Dicitur effectus, ceu splendor Apollinis ortus.
LAus verò est hominum, Diuiuo lumine mentis
Omnia qui cernunt, sermo: quo pulchra fatentur
Et Diuina virum quenquā reperisse, & habere:
Qui,q, habet Diuina, bona, et pulchra, īde ꝓbatur
Esse Deo similis, ipsi pulchroq;, bonoq;,
Cui similem fore se mens humana appetit: vna
Hæc siquidem vera est felicis gloria mentis,
Si quando Diuinum aliquod, pulchrumq;, bonūq;
Consequitur, similisq; Deo, Pulchroq;, Bonoq;
Redditur, & meritam possesso numine laudem
Accipit. Hæc etenim se concomitātur vbiq;.
Nunc quibus in rebus Diuinū quærere pulchrū
Est opus, expediam, quò constent singula vero
Ordine, propositam petat & mea cimbula ripā.
Maxima pars hominū decepta Cupidine cœco,
 Quæ tellus

Quæ tellus imis procreat preciosa metalla
Visceribus, summum esse bonū arbitratur, et amens
Diuitijs alios præcellere quoslibet optat.
Scilicet hanc stulti censent vitam esse beatam,
Auro, atque argento laquearia celsa nitere,
Mille domi terra defossis condere cistas
Expletas auro, gemmisque è Gange petitis:
Extremaúe Asia cōductis mercibus, omnem
Diffluere in mundum, cœcumque requirere Plutū.
O miseri, verè miseri, quîs talia curæ,
Quique ita decepti, non cernitis vnde petenda
Gloria sit constans, nullo interitura sub æuo.
Non opibus famam quæsitis tollere ad astra
Victuram fas est, perit vna gloria famæ,
Diuitiæque, tibi quæ illam peperêre, fugaces.
Diuitiæ, fumo similes, nebulæque volanti,
Alta petunt semper, replentque cupidine pectus
Immensa: at summum cum iam tenuisse putares,
Vnde excreuerunt, rursus labuntur eōdem.
Quique sibi felix poterat prius esse videri,
Hunc faciūt lapsæ miserū, lachrymisque madētem.
Crœsus vt impositus flāmæ est, miserabilè clamās
Solonem, miserum plus Iro se esse fatetur:
Diuitiæ, instabilis fortunæ munus auarum,
Reddere felicem falsò, miserumúe putantur,
Non etenim

Non etenim quia possideas nongenta talenti
Millia de fuluo radiantis splendidus auro,
Idcirco felix meritò fuerisúe beatus.
Diues eris, quia diuitias opulentus habebis:
Interea ast cœcum, velut æquore tetra vorago,
Pectus auaritia feruebit, amore nefando,
Contemptuque Dei, rixis, ira, atque furore,
Contemptu socij, & cognati sanguinis, & sic
Impius, iniustus, mendax, deceptor, iniqua
Omnia miscebis diuina humanaque lance:
Iustitiam vendes auro, peccata remittes,
Splendentesque dabis titulos, mercabilis auro
Totus es, & Midæ similis, similisque rudenti.
Hæcne tibi famam poterunt afferre perennem?
Qualis ab his vitijs surgit tibi gloria laudis?
O si conspicias quantum miser inuia quœras
Auia, quámque erres longè à ratione, bonoque
Iudicio, forsan citius resipiscere posses:
Quodque in diuitijs Diuinum clauditur, æquis
Id spectans oculis, cuperes Diuinus haberi,
Quám diues, multò magis: Hinc tibi gloria vera
Surgeret, hinc claro pulsares vertice Olympum.
Nam Deus æternus, bonus, immensusque, potensque,
Æternum, immensumque bonum diffundit: inersque
Ne sua torpescens immensa potentia dici

 Possit,

Possit, agit semper bona: sed ne quando bonorum
Copia deficiat, semper vult posse, potestq́.
Sufficit ergo sibi semper, funditq́ per Orbem
Immensum, sine fine bonum quodcunq́, suasq́
Diuitias tribuit, ditißimus ipse bonorum.
Hic hominē sibi cōsimilem quia reddere curat,
Et vult posse hominē bona semper qualibet aptè
Efficere, & latè toto diffundere mundo:
Nam quodcunq́ bonū, quantò diffusius ipsum est
Vlterius, tantò perfectius esse probatur:
Ergo materiam fecit preciosa metalla
Vnde potens reddatur homo diffundere largè
Diuitias miseris, & dura sorte peremptis.
His verò miseros veluti loca propria fecit,
Diducantur opes in quæ & benefacta potentum.
At nunc, proh Superi, quis diues talia pensat?
Quis curat similis benefacto euadere vobis?
Non cernunt miseri Diuinum amittere sese
Id, quod Diuitijs semper voluistis inesse.
Materiam seruant, odio est sed terminus, ad quē
Materia affectat ferri, vt releuaret egenos.
Nemo dispensat, quas sumpsit cœlitùs, auri
Diuitias: OMnes festinant condere terra,
Quas effudit opes tellus: aut abligurire.
OMnia luxus habet: Contemptus pauper vbiq́ est
Vos igitur

Vos igitur, quibus est opibus proferre cupido
Laudes, & famam spacioso extendere in orbe,
In miseros conferte bona: & splendescite largi.
Pars alia est hominum, brutorū more voluptas
Quam scelerata iuuat, cuiq́ hæc est gloria sum̄a,
Si viuant, olim ceu vixit Sardanapalus:
Nullaq́ cura boni, iusti, iniustiúe fatiget
Pectora, fœmineas nedum attingentia mentes.
Non has delitias homini Deus ille Deorum
Proposuit, cœli summo qui vertice vitam
Tranquillam ducens, tranquillam ducere vitam
Vult hominē. At quidnā trāquilli fœda voluptas
Continet? Immodicis affectibus omnia turbat,
Hinc amor, inde odiū conferto milite pugnant:
Horrida castra locāt Metus et spes, Zelus et ira,
Nunc Rabies tumidis furit immanißima buccis,
Tristes nūc lachrymas facies miserabilis haurit.
O pulchrā certè vitā, en quàm grata voluptas,
Quot stultas hominū turbas demittit ad orcum?
Delitijs laudem vobis qui quæritis vllam,
Vos in delitijs Diuinum agnoscite Pulchrum,
Vnde potest tantùm laus recto surgere iure.
Atqui delitiæ Diuûm procul vndiq́ tactus
Sensa fugant, purisq́ animi virtutibus hærent.
Has tibi tu forma, quò Mens, Ratio, atq́ voluntas,
Iudicium

Iudicium, & varijs phantasia mixta figuris,
Concordent in idem, fiatq; Harmonia iusta.
Hæc sola est Superis gratissima nanq; voluptas.
Hæc contemplari, necnon quandoq; tenere
Laus hominis vera est, Diuinæq; æmula laudis:
Nanq; ita terrenus, cœlestia gaudia sumit
Intellectus, ouans tranquilla per ocia mentis:
Ac velut æterna in patria, iam lumine cernens
Abstracto à sensu Dominum, coniungitur illi.
Dij Superi, quàm dulcè sapit coniunctio vestri?
Quàm paucis hominum sensu sine nota voluptas?
Quàm multos perdit cum sensu mixta voluptas?
Robore corporeo pars est contenta, putatq;
Laudari dignum, fuerit si corpore vasto,
Viribus immẽsis, magnum quibus æquet Atlãta:
Cor licet imbelles habeat sub pectore motus,
Degeneresq; animos, sensus, moresq; scelestos.
Hi quoq; Diuinum non possunt cernere Pulchrũ,
Sed procul errantes, fragiles in corpore vires
Nominis æterni sperant adducere laudem.
At qui corporeis laudes è viribus optas,
Aspice Diuinum Robur, quo cuncta tuetur,
Et regit, excelsi, mundum, dominator Olympi.
Atq; vt centimanes disiecit in igne Gygantes
Æthereo, contra qui prælia sæua mouebant,

Viribus inijcerent dum vastis Pelion Ossæ.
Aut veluti sanctæ crudeles dissipat hostes
Relligionis, iter qui clari ad culmina cœli
Obstruere, & populis pugnant occludere iustis.
Sic tu, si Patriæ, si puræ Relligionis
Surgentes cernis metuendis viribus hostes,
Progredere, & pugnans aras defende focosq;.
Sic tibi perpetua venient cum laude trophœa:
Sic similis fueris, Romano aut Coclite maior,
Maior & illo vno, qui cunctans restituit rem
Romanam, vires compescens Principis Aphri.
Nunq; cœlesti descendit robur ab aula
Clarius, àc Patriæ cum defensoribus æquis
Numine Diuino belli pater arma ministrat:
Aut cum pro sanctis tutandis ritibus, atq;
Pro templis Diuûm, contra impia pectora surgit
Bellipotens Mauors, & perfida concutit arma.
At quos vindictæ succendit flamma scelestæ,
Aut magni rapit imperiosa superbia Regni,
Aut quos regnandi tenet ambitiosa libido,
Sint quamuis bello fortes, & Marte superbi,
Sintue etiam terræ domitores, atq; potentes
Imperio domini: non hinc tamen ulla sequetur
Gloria, Diuinum cuius sit fons & origo.
O quibus est robur generosi pectoris ingens,

Soluite vos fœdis affectibus, ira, furorq;
Vindictæ iniustæ, regniq; superba cupido,
Nō decet has vires: animi hæc sunt signa scelesti.
Vilescunt vires vbi virtus exulat alma.
Cacus Auentini fur montis, robore vasto,
Vulcaniq; patris fumanti strennuus igne,
Terror erat populis, labor Alcidiq; paratus:
Nec tū hīc laudē, quā rettulit Hercules, aufert.
Vsq; adeò famam vires augere perennem
Non possunt, quin dedecori quandoq; ministrant.
Quid vos, iactantes formam, facietis, amœnam?
Annè dabit rugis facies obnoxia laudem
Victuram longo fugitiui temporis æuo?
QVOD perit, et, facili casu violabile, floret,
Nulla potest illinc acquiri gloria constans.
Laudârunt Helenæ mirandam carmine formam
Scriptores Graij, nimium fugitiua sequentes:
Sed meretrix, totū quæ sanguīe miscuit æquor,
Indigna est veri memorari carmine vatis.
Græcia stulta furit, si formæ percita raptu
Bella decem totos crudelia sustinet annos.
At si bella pudor mouit, vindictaùe culpæ,
Stultitiæ pœnas meritò luit eruta Troia.
Gloria si, formæ, tibi firma, valore, paranda est,
Aspice Diuinum, formæ quod gratia claudit,
Idq; para:

Idq; para: Vt veluti corpus speciosa figura
Exornat, virtus animum sic inclita, sancto
Ornatu decoret, similem reddatq; Tonantis
Ingenio, qui fons virtutum amplißimus, ipsum
Pulchrum diffundit per partes quaslibet orbis.
Inspectanda tibi mentis specularia puræ
Sunt, adq; æthereum cœli referenda figuram,
Hinc DEus, æterni pulchri pulcherrimus autor,
Noscendus, totisq; imitandus viribus, vt sis
Illi consimilis Pulchro. Hæc est gloria formæ
Quandoquidē pulchræ, quā nulla peremerit ætas.
Forma, velut rosei flos ornatißimus agri,
Mane nitet, medio flaccescit Sole repentè,
Inde cadit, puluisq; putris vilescit, humusq;
Efficitur: Formæ sic transit gloria vana
Atqui Mens ipsi virtutibus addita Pulchro
Si quid fortè mali vitij cælestia motu
Sidera suggererēt, procul id procul vsq; repellit,
Affectusq; domans Diuinum quærit vbiq;
Pulchrum, sicq; Deo similis sine fine nitescit.
Vos quoq;, qui magnis famam celebrare studetis
Imperijs, animi splendoreq; magna volentis,
Quæ non communi sunt ascribenda popello:
Affectus cordis vobis ante omnia curæ.
Ah nimium sapitis terrena condita fæce,

Magnaq́ dum vobis animo proponitis alto,
Parua nimis, paruo mansuraq́ quæritis æuo.
Si tantùm est animis regnandi dira cupido,
Vt solùm pulchrum dominari posse putetis,
Et splendore leui periturum quærere nomen:
Quid quæso vobis dicemus stultius? an quod
Ex te laudari, per te immortale manere
Debet, quod sine te nullo fulgescit honore,
Hinc tibi perpetuæ speranda est gloria laudis?
Erratis miseri: Diuinum quærite mixtum
Imperijs, illincq́ æternum sumite nomen.
Hoc verò vobis quò possit notius esse,
Imperium summi sic vos perpendite Regis.
Iustitia iustus DEus omnem temperat orbem,
Omnibus est æquus, nec perfida munera curat,
Diuitijs splendens & dura sorte vilescens
Nil variant illic: æquum Ius omnibus ipse,
Imperiumq́ suo simili moderamine Reges
Exigit à vobis: Leges, Iurisq́ statuta
Inuiolata petit, se per vos vultq; referri:
Affectus reprimi vestros, & corda superba
Tantò plus illi vos soli subdere, quantò
Altius humanis vobis concessit habere
Culmen in imperijs. Huc vos virtutibus auctos
Conferte, & laudem regni referetis habenis.

Feruor

Feruor inexpletus regni si vestra fatigat
Pectora, iustitiam qui vos perrumpere firmam
Sollicitat, falsæ sequitur vos gloria laudis.
Hannibal exemplum fuerit, quē immēsa cupido
Regnandi, in Latium crudelia compulit arma
Sumere, quemq́ etiam cum tristi gloria morte
Deseruit. Tantum potuit scelerata tyrannis.
Verùm qui proauos, & clari sanguinis ortus
Iactatis miseri, famam vos posse putantes
Istinc æternam, firmamq́ tenere: perinde
Erratis, veluti siquem vesana libido
Exstimulat famis, hic alijs mandentibus, ipsum
Se saturum speret fore: sed ieiunia nunq́
Inspiciens alios, nisi se cibet ipse, leuabit.
Vos spectatores patriæ virtutis, honesti
Sanguinis egregium splendorem sumere vobis
Qui cupitis, toto nomenq́ extendere mundo,
Sanguinis authores vitiorum labe pudenda
Eheu, polluitis, temeraria gloria vestra est
Quidlibet audendi, spernendi fasq́ nefasq́,
Spernendi quosuis vel eodem sanguine natos,
Vel simili, vel maiori, vel sæpe minori.
Quæ fera barbaries hæc est? quis cultus honesti?
Sic decet humanum temni genus? an quia fortè
Diues es, idcirco miseros contemnere debes?

C iij Vel quia

Vel quia præclaris ortus maioribus, ergo
Plebeium spernes quamuis virtutibus amplum?
Non hæc conciliant generis victura paterni
Nomina: quin potius magna esset gloria vobis
Virtutis veræ cultores, quolibet ortos
Sanguine, siue loco vestras assumere in vlnas.
Ne tamē hanc gentis summā laudē esse putato:
Hîc quoq; Diuinum Pulchrum scrutabimur acri
Iudicio, lucemq; tibi monstrabimus amplam.
Ille opifex mundi quem virtus optima semper
Sola iuuat, propriam sibi fecit imaginē habere
Humanum genus, vt semper Diuina parentis
Lumina spectaret, semper se nosceret esse
Diuinam speciem, et pulchrum sequeretur auitū.
Hoc genus hoc iactet, generis cui gloria cordi est,
Iam quibus infracta est Virtutū castra volūtas
Sancta sequi, et famam factis extēdere pulchrū:
Aspiciunt propius Diuinum rebus in ipsis,
Et totis animi perquirunt viribus illud.
Hos non ficta manet constanti gloria laude,
Nomē at immenso celebrandū semper honore
Conferet, & titulos etiam post fata perennes.
O sacra virtutis, nullum peritura sub æuum,
Gloria: quàm paucis hominum, vestigia ferre
Ad te firma, datum est, paucis tua semita nota:
Multi

Multi degenerant pro veris falsa sequentes.
Nanq; parens paucis tua noscitur inclita virtus,
Quæ Regina, poli ad conuexa palatia tendens,
Altius externis rebus se tollit, & illinc
Despectans homines, magna in sua regna venire
Voce iubet: maior sed pars parêre recusat,
Aspiciens vastos colles, durosq; labores,
Per quos Virtutis speciosa palatia Diuæ
Scandere concessit summi Iouis æqua voluntas.
At quorum melior sedit sententia menti,
Omnia contemnunt fallacis gaudia mundi,
Et duris sese exercere laboribus instant,
Affectusq; domant carnis, pompamq; superbam
Despiciunt, & quà strictissima semita ducit,
Ingrediuntur iter virtutis pectore forti.
Nec mora, nec requies magno datur vlla labori,
Donec in optatæ diuina palatia læti
Reginæ veniant, fructus referantq; laborum
Quæsitos dubiæ per mille pericula vitæ.
Tunc Regina suos blandis complexa lacertis
Filiolos, laudum confert insignia cuiq;
Æterno victura die splendore perenni.
Interea mentes natorum sedula mater
Artibus instructas diuinis, abdita quæuis
Naturæ, quarum possint cognoscere ductu:
Ad Sophi-

Ad Sophiam ducit, Diuina scientia circum
Quã manet, & placidus crinito vertice Phœbus.
Nunc quibus est cordi doctrinæ gloria magnæ
Aduenient, discantq; citi, num Scire beatum
Efficiat: laudemq; ferat per sæcula firmam.
Heu quàm multiplici mens est caligine prorsus
Obruta, quãtus habet mortales error vbiq;.
Heu quàm falsus amor doctrinæ pectora versat
Inscia, quàm paucis est nota scientia vera.
Dij precor his animum tenebris educite, ne me
Ne precor abripiens obducta Scientia fuco
Perdat in æternum, Patrium lumenq; videre
Non sinat, æthereis & me depellat ab oris,
Sancta vbi Spirituum versatur turba, Deumq;
Agnoscens, verè scit, quicquid scire decorum est.
O miserum mortale genus, cui ludere cantu,
Aut cythara, aut pedibus saltus effingere molles,
Maiori in precio est, quã dogmata scire sophorũ.
Si famam lusu quæris, ludêris vbiq;.
Quid vos Grãmatici vestris cum partibus octo?
Quarum lis semper suspenso in iudice pendet,
Iamq; adeo incerta est, rerum vocabula pura
Vt vix vix maneant: Confusio, Barbariesq;
Vos contra surgit, violentaq; concitat arma,
At vos pugnaces perplexa voce Sophistæ,
Quîs

Quîs Sortes currit, Sortes non currit: &, album
Possibile est nigrum fieri: Contingit honestum
Esse voluptatem: Sortem ridere necesse est.
Arguti nimiùm, nunq̃ hæc confertis ad vsum,
Pugnatis verbis, & res amittitis ipsas.
Vos Oratores, quibus est elegantia curæ,
Quid facitis? miseras aures qua lege tenetis?
Commata diuiditis, sermonis membra secatis,
Dissectoq; datis membro numerosq;, pedesq;.
O quàm difficilis, quàm docta sciẽtia vestra est:
Quàm constans ad vos reditura est gloria facti.
Qui numeros mutos, vel qui cantare sonantes
Discitis, & laudem famæ speratis: in Odas
Vos conferte Deûm, Diuos celebrate, grauesq;
Heroas iusto laudatos dicite cantu.
Sed quid mensuris, spacijs, gnomonibus, horis,
Atq; astrolabio, venit huc Geometra refertus?
Inde putat laudem sese fortasse perennem
Nancisci? poterit: si cœlos lumine mentis
Transeat, & Summũ metiatur mente Parẽtem.
Vanæ sunt etenim, studio quas discimus artes
Ingenti, iustas nec possunt addere laudes
Nominis æterni: nisi sit sapientia summi
Mixta Iouis: nisi sit fucata scientia longè.
Quid vos Astronomi? motus qua lege notatis?
D Vmbrarum

Vmbrarũ ratio quid habet cum corpore Solis?
Quò motus cœli tàm clara scientia, si non
Effectus verè venturos scire potestis?
Forsitan in vobis non clarè lumina Phœbi
Perlucent, Phœbi, cui fas est scire futura.
Aut aliter currunt peruerso tramite cœli
Sidera, nosq; aliter mota tellure mouemur?
Proh Superi, quãta medicus cũ mole mouetur?
Quàm grauis est? vultu quã magna scientia rerũ
Hæret in elato? sed quid miserabilis æger
Clamitat? an morbum nescit depellere tristem
Garrulus hic Doctor, tam lata fronte superbus?
O vos mẽdici Medici, quò vestra recessit
Lex, Medicus quam vos Cous seruare iubebat?
Vos luxu ventris nimio torpetis iniqui,
Libros non legitis, dormitis nocte dieq;
Nomen Doctoris solùm satis esse putatis,
Nec miseris affertis opem medicamine morbis.
Non Natura parens medicos vos arte creauit,
Ast indocta malo mentis Iactantia fastu.
Quid Clysteria vos pingui cum iure per aluum
Mittitis inuersam, quorum non cernitur vsus?
Tot Syrupos, haustus, vncturas, cumq; veneno
Mercurij Stibium, miseris ceu tormina mortis
Ægris præbetis, donec descendat ad Orcum
Spiritus

Spiritus expulsus diri medicaminis vsu.
Vos quoq; Iuristæ iustum diuenditis auro,
Perplexas legum voces, actusq; mouetis
Mille modis cautos, nec egentum cura fatigat
Pectora vestra: AVro venales, viuitis auro.
Ecce Pòetellorum grex furiosior, inflat
Magniloquas buccas, numerat digitoq; reflexo
Indicis articulos, Epigrammata disticha secum
Murmurat attonitus, rugosa fronte seuerus.
Hunc modo tu turbare caue, furit, eminus esto.
Disticha perpetuum nomẽ duo nanq; merentur:
Scabri sint quamuis versus, pleniq; nidore,
Sitúe etiam sensus nullus, modo syllaba constet
Carminis, aut etiam si syllaba sæpè labatur,
Illo si fuerit comprensum carmine, Phœbi
Nomen, vel Musæ, vel Diuæ: carminis illi
Materies fuerit quamuis incongrua Diuæ.
Verùm, Diua nouæ forsan permota decore
Materiæ, grandi fuerit mage blanda Pòetæ.
O vos artistæ miseri, resipiscite quæso:
Aut sanctas artes vera pietate colatis,
Aut pẽitus pẽitus procul hĩc ꝓcul ite ꝓfani.
Nõ hic nõ modus hic quærẽdæ est laudis hõestus
Quin pudor inde redit, nomen cũ corpore bustũ
Intrat, & æternæ tegitur caligine noctis.

 At si

At si doctrinæ fuerit mens æmula veræ,
Virtutisq; sacræ penetralia celsa subibit,
Continuò hanc Virtus Diuino amplexa nitore,
Supra naturam, cœliq; volubile culmen,
Tollere conatur: sanctisq; immittere turbis
Spirituum, puro Intellectu vbi cernere poßit
Primum virtutum fontem, Pulchriq; parentem,
Autoremq; boni Dominum, quem gloria semper
Sancta colit: non humanis celebrata camœnis,
Sed quam carminibus pangunt sine fine canētes
Angelicæ turmæ, Seraphim, Cherubīq;, Thrōiq;.
Huc vbi mens virtute potens peruenerit, oēm
Despicit humanis cantatam laudibus almæ
Gloriolam famæ, quæ scilicet vmbra tenebris
Obscurata iacet, Superûm si gloria vera
Spectetur: per se Bona qua celebrante relucent:
Quaq; ipsum Pulchrū laudes sibi sufficit æquas.
Hæc igitur vera est cœlestis gloria Regis.
Huic similem, quantum conceditur, expetit ipsa
Mens humana: cupitq; æterna laude vigere
In sese, aspectuq; frui, vitaq; Deorum.
Hanc licet, & fas est laudem perquirere sūmo
Conatu solam: sed quæ sub imagine Pulchri
Clauditur istius, non est spernenda putanda: ast
Hāc primùm sequitor, post alta ad sidera surge.
Nam

NAM leuis est animi Pulchrā cōtēnere laudē:
QVÆ fructus veræ Virtutis, sola perennis
PV Llulat, & fœtus omnem producit in æuum.
Huc properent auro dites, vanamq; repellant
Mendacis famæ laudem: LArgiq; nitescant.
Istas delicias, quibus in se gaudet in æuum
Mēs Diuina, parēt, quib. est adamata voluptas.
Huc veniant Fortes, Compti, Regesq; potentis
Imperij domini. VIRTVtibuS ardua sanctis
Semita perducit, SOPHIA præeunte sequentū
Mentes, in summi Pulcherrima tecta Tonantis,
VERA vbi cōtinuo celebratur GLORIA catu.
Qui caret his ducibus, nunq; laudabile nomen
Accipiet, nunq; poterit Diuinus haberi.
NAM regit affectus Virtus: Sapientia mentē.
Nos homines miseri, donec mortale tenemus
Corpus in his terris, morbis dubiamq; fouemus
In medijs vitam, quanto discrimine vitæ
Tendimus ad famæ peritura monilia fluxæ.
Quàm nimis huic dediti mundo, cœlestia regna
Negligimus prorsus, vel vix inquirimus: ipsam
Quinetiam Mortem, per quam sublimia cœli
Culmina conscēdit factis anima optima sanctis,
Odimus, & veluti pœnam aspernamur amaram.
O stulti, & cæca miseri caligine mersi,
 Qui

Qui fugitis mortem, brutis peiora tenetis
Pectora, nec mentem quicq; rationis habentem
Seruatis, rigidi, duri, vacuiq; cerebri.
Bruta suam mortem natura qualibet ipsa
Cognoscunt, notamq; petunt, vbi terminus horæ
Aduenit: hæc vitā medio vt de corpore proflēt
Cautius, antra petunt: sunt illis antra sepulchra:
Aut duros scopulos, aut inuia culmina montis.
Cygnus auis Phœbi nitidißima, gloria cygnus
Viuaci vatum cingentum tempora lauro,
Phœbeo postq; monitu cognouit adeße
Horam, qua nitido de corpore spiritus insons
Aereas habitura domos, repetatur, ad amnes
Dulce canens, animā Phœbo cōmendat, & ipsā
Sponte sua exspirans, suaui cum voce relinquit.
Nos mortem fugimus, quæ vita sola beatæ
Principium nobis aperit, veramq; perennis
Famæ cœlitibus cum sanctis cernere laudem
Sola facit, purumq; pijs recludit Olympum.
Stulti, qui mortem fugiunt, cum corpore credūt
Interituram animam, nec quid post fata bonorū
Vltima poße putant cœlo supereße beato.
At si conspicerent, illic quàm Gloria celso
Conspicienda throno sedeat, quàm luce corusca
Splendeat, & totum sese diffundat in orbem:
Optarent

Optarent misero se mitti corpore ad astra,
Optarent mortem, mortem vel sponte vocantes,
Optarent animam grossæ de carcere molis
Ante Dei citius faciem pertingere posse,
Cuius ab aspectu profertur gloria vera.
Sed quia non debet quisq; contemnere vitæ
Cursum, quem firmo statuit Pater ille Deorum
Fine hominum generi: dum terris vita maneret,
Virtutis sanctæ, & Sophiæ pia munera Diuæ
Quæreret: & luxum fugeret, vitamq; scelestam.
Nūc quibus extollā iuuenes, quo carmīe laudē
Nomina vestra: quibus Virtus, Sapientiaq; alma
Tempus ad hoc vitæ est quæsita laboribus æquis,
Iamq; adeo multis ambagibus obruta quondam
Semita, nunc vobis patefacta est. ITE potenti
Pectore, Virtutemq; ducem, Sophiamq; sequētes
Tecta Patris summi vera cum laude subite.
At vos dilecti Phœbo, Studiosa Iuuentus,
Hos, coram iuuenes quos cernitis alta petisse,
Exemplum vobis proponite, vosq; labori
Aptate, & sacræ Virtutis pectora iußis
Imbuite, & Sophiam pura perquirite mēte.
Sic nomen vobis æterna laude perenne
Surget, & æternùm vobiscum Gloria viuet.

FINIS.

Vir non vir, videns non videns, icit non icit, vespertilionem pumice in sambuco. Plato. pag. 114.

Eunuchus luscus icit vespertilionem pumice in sambuco